Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36884
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



M.CCXXIII. Hoc anno Relique Sancti Viti Martiris in Laventa multorum prestacione miraculorum reperte sunt

M.CCXXIIII. Hiemis nimia siccitas gravem intulit frugibꝫ perniciem. Subsecuta est contagio tempore estivo gravis, et inaudita pecorum mortalitas, que tam divitibꝫ, quā et inopibus necessarium denegavit subsidium. Fridericus Imperator, Regina Ungarie ſ: lege: Arragonie :ſ quam primitus duxerat, decedente, Filiam Regis AKaron ſ: Accaron :ſ prout imperatoriam decuit magnificentiam Apulie sibi solemniter copulat. NB. Hanc Sponsam Friderici Imperatoris, nomine Jolanta, noster Chronographꝫ appellat Filiam Regis Accaron, non vero Regis Jerosolymorū, quia tunc temporis Jerosolyma erat sub potestate Saracenorū. Hujus Filia Pater erat Joannes Brienne Rex Jerosolyma.

M.CCXXV. Filia Ducis Austrie et Styrie numerosa Principum pompa in Nurnberch coadunata, Filio Romani Imperatoris fide nuptiali copulata est..... ..... in quo comitatu Engelbertus coloniensis Episcopus occiditur, qui postea miraculis claruit. Chunradus pie memorie Ratisponensis Episc. obiit.

M.CCXXVI. Luna cum in incremento esset circa mediam noctem VIX.K. Marcii naturali splendore mutato colorē induit sanguineum, Dehinc eclypsis orta est Nobiles Boëmiam predis, et incendiis nullo resistente devastant. Agnes Ductrix Saxonie, pie memorie, primogenita Ducis Austrie viam universi carnis iniit.

M.CCXXVII. Honorio Papa defuncto Gregorius VIIII. magni nominis, qui et Hugolinus Ostiensis Episc succedit. Nobilium quam plures, sed et multitudo popularis iter